

tatum agros ablatos fuisse. Legatorum postulatis cum nihil , quod ad rem spectaret , respondere Bassæ possent , cupiditati morem gentis , Regumque vetustam consuetudinem obtende- bant , ut nunquam alicui ea loca permitterent , in quibus phana (quas *Meschitas* vocant) erecta , oratioque celebrata esset . Amurathem nulla ratione adsentiri posse ; nec , si adsentiantur , religionis illorum principem (*Muftim* vocant) insignioresque proceres passuros : eaque de re sermone injecto , aversum adeo se ostendisse , ut ne verba quidem auribus admitteret : ingens dedecus sibi obventurum arbitrari , ad imperium , quo nullum majus sol aspiceret , proiectum , ejus exordia non a majorum æmulatione , atque a regni incrementis , sed a turpi concessione incipere . At contra Superantius , & Corrarius pa- cis conditionibus , quibus agros restitui cavebatur , nostrorum que refragatione nitebantur , qui , positis a Turcarum ministris adversus jus æquumque limitibus , nullo pacto adsentiri voluif- sent . Si Veneti Suppotum oppidum restituissent , cur & ipsi , quæ concordiæ legibus comprehensa essent , restituere nollent ? Neque vero quod iis in locis preces fudissent , idcirco non teneri , cum superiorum temporum memoriam repetentibus , secus actum fuisse compertum foret : Samandria civitate Amurathem , Mahometi illius patrem , qui Byzantium ceperat , cessisse ; Suleimanum Budam Joanni Hungariæ Regi tribuisse . His Bassæ devicti rationibus eo se conferebant , ut priscum nimium , Samandriæ factum adduci in exemplum non posse , Budæ privatas tantum , non publicas preces habitas , dice- rent . Legati , ut tandem ad exitum negotium perducerent , Zemonicum in Jadertino agro oppidum , quod constanter reddere pernegabant Bassæ , dirui petebant . Illi petitioni minime adsentiebatur , ut non longe ab Jaderæ munitissima ci- vitate receptum tutum , & castellum frena eidem aliquando injecturum obtinerent . Itaque novis suborientibus difficultati- bus , prope jam desperata re , id consilium capiendum sibi legati censuere , ut quamprimum singulis de rebus Senatum docerent , ejusque decretum Byzantii præstolarentur .

Dum hæc fuit , Turcarum animos ingens suspicio invaserat , ne Veneti paci adversum aliquid molirentur ; ac quorsum Hi- spanorum vires & apparatus tenderent , spectantes , ex eventu consi-